

D E D I C A T O R I A.

Cum Majestas ἀξίωμα sit politicum, potestate temporali fultum, solisq; Regibus, Imperatoribus & Dynastis secularibus, in scripturâ sacrâ ita tributum, ut *Ecclesiastica persona ab omni consortio politicae potestatis & majestatis disertè arceantur*: Christus siquidem ipse interdixit, inquit: Scitis, quòd οἱ Ἄρχοντες τῶν ἐθνῶν, ut est apud Matthæum, vel, οἱ δεκῆντες ἄρχου τῶν ἐθνῶν, κατακυριεύουσιν αὐτῶν, ut habetur apud Marcum, καὶ οἱ μεγάλοι αὐτῶν, κατεξουσιάζουσιν αὐτῶν: *Vos autem non sic*: Luc. 22. v. 25. Et quidnî interdixerit hoc Servator Apostolis, cum apertè sit testatus, *Regnum suum non esse de hoc mundo*, Joh. 18. v. 36. cum manifestè asseruerit, *se non venisse ut sibi ministraretur, sed ut ipse ministraret*: Matth. 20. v. 28. immò; cum ipsemet, *non Dominum, sed subditum Caesaris se gesserit, & tributum solverit*, Matth. 17. v. 27. Quod adeò verum est, ut *Bernhardus ad Pontificem Romanum Eugenium lib. 2. de considerat. Col. 1021.* in hæc verba eruperit: *vox Domini est, Reges gentium dominantur, vos autem non sic: Planum est, Apostolis interdicitur Dominatus: Iergò Tu, & Tibi usurpare aude aut Dominans, Apostolatum, aut Apostolicus dominatum: planè ab alterutro probiberis, si utrumq; similiter habere voles, perdes utrumq;.* *Forma Apostolica est Dominatio interdicitur, indicitur ministratio.* *Beatus Petrus, cujus Successorem Pontifex Romanus se jactat, perspicuè dominatum vetuit.* *Obsecro vos Presbyteros ego συμπροεβύτετε, pascite gregem DEI, & κατακυριεύοντες τῶν κλήρων non dominantes clero*, 1. Pet. 5. v. 1. 2. 3. & quis ignorat illud *Paulinum? Nemo militans Deo, implicat se negociis secularibus*: 2. Tim. 2. v. 4. Quod si itaq; Episcopus Romanus

tempo-